

dam, non sufficit semel requirere debitores, sed tenetur bis, tervè requirere, alioquin negligens erit in culpa, quia debet adhibere diligentiam, quam potest. *Bald. in l. Titia Sejo §. usuras in fine ff. de leg. 2.*, *Baverius supra nu. 11. vers. tertio principaliter tempera per tex. in l. fn. §. fn. de pignor. act.*

14 Fallit octavo, si agitur de præjudicio personali, tunc enim trina requiritur interpellatio. *Auth. si quis ei C. de adult.*, *Baver. de mora p. 1. num. 17.*

15 De interpellatione judiciali reg. est, quod trina requiritur interpellatio *l. ad peremtorium ff. de Juditiis*, *l. tres denuntiationes C. quomodo*, & *quando Judex*, *l. properandum C. de judic.*, *c. de illicita 24. quest. 3.*, *Glos. in c. si Episcopus dist. 18.*, *Alex. in l. de pupillo §. si quis ipsi Prætori ff. de op. nov. nunc.*, & *in l. contumacia ff. de re jur.*, *Baver. de mora part. 1. num. 16.*

16 Quando autem possit fieri una, pro tribus, videatur *Ubert. de cit.*, hanc enim materiam libenter omitto, quia non facit ad nostrum institutum, & videndi sunt *D.D. in l. contumacia ff. de re judic.*

17 Ex tribus monitionibus supra requisitis, prima dicitur conventionalis, quia reum absentem convenit; secunda dicitur monitoria, quia monet reum, ut compareat; tertia dicitur peremptoria, quia pro ultimo termino, perimit ulteriorem processum, & profertur sententia contra negligentem, *Ubert. de citat. c. 7. num. 379.*, & *382.*, quia tertia convincit malitiam negligentis.

18 Ita pariter in Evangelio *Math. 22. Ho-*

mo Rex, qui paraverat nuptias, & cenam magnam; primo misit servos vocare invitatos, eisque nolentibus, & negligentibus venire, misit secundo alios servos: tertio missis exercitibus, pœnam intulit, & *Math. 21. tertio filium suum, ad eos, quibus locaverat vineam Misit*; postea tandem subsequuta est sententia condemnatoria, *Glos. in c. de illicita in Vers. ex evangelica auctoritate 24. quest. 31.*

19 Decem tamen fallentias tradit *Alex. in l. contumacia ff. de re jud.*; primo fallit in præfente, qui non est citandus; præfentia enim sufficit, ut possit scire, quæ sibi necessaria sunt, ad defensionem; unde si negligat respondere, & se defendere, aut dilationem, & terminum petere, imputet sibi *l. de unoquoque ff. de re judicata. Vanc. de nullit. ex defectu citationum num. 17.*, *ubi num. 82.*, debet tamen à Judice moneri, & supplet citationem; Fallit secundo in causis, ubi proceditur simpliciter de plano, & summarie, ubi unica sufficit citatio, *Clem. sepe*, ibique *glos. in Vers. citatione de verb. signif.*, & de vi, atque effectibus ipsius clausulæ (summarie, simpliciter de plano) videatur *Barbosa de clausulis clau. 176.*; tertio fallit, ubi Judex monuit partes præfentes, quæ monitio sufficit ad constituendum quem negligentem *l. cessante C. quomodo*, & *quando Judex, Alex. in d. l. contumacia fallent. 7.*

20 Ad constituendum contrahentem, & venditorem in mora, sufficit unica interpellatio, puta ad consignandam rem venditam emptori, *Rota coram Eminentissimo Cerro inter ejus impressas decis. 42. num. 1.*

ARTICULUS VII.

An negligens incurrat culpam moralem, seu Theologicam, idest peccatum.

Negligentia, est effectus peccati originalis; ut disertè ostendit *Belarminus in controversiis fidei, tom. 4. tract. de amissione gratiæ*, & *statu peccati lib. 6. cap. 10. vers. tertium est*, eo quia cum propter peccatum originale, homo incurrerit ingentem difficultatem, aquirendi virtutes, vitia vitandi, evenit, ut piger, & negligens in eis

pariter factus sit.
2 Non induco in quæstionem, an possit dari negligentia, quæ consistat in simplici omissione, absque ullo actu positivo voluntatis, & utrum hæc simplex ommissio, sit culpabilis, nam ego semper consensu sententiæ *D. Thom. p. 2. quest. 71. art. 5.*, & *2. 2. quest. 79. art. 3.*, quod licet regulariter non detur, simplex ommissio, absque omni actu positivo volun-

voluntatis decernentis, nolo facere hoc, nolo audire sacrū &c., & apud *Aversam in prima 2. quest. 6. sec. 5. versic. & loquendo*; *Beccan. tom. 2. cap. 3. quest. 3.*, dari tamen possit, & hanc simplicem omissionem, si sit de re præcepta, esse culpabilem, & peccaminosam, quidquid in contrarium contendat probare; *Pasqualig. in sacra morali Theologia d. 14. sec. 5.*, eo quod dicit ille, nequeat esse ommissio voluntaria, nisi voluntas actu positivo decernat ommittere, & negligere; at hoc non obstante sententiam *D. Thomæ sequutus sum*; quia ad hoc, ut ommissio sit voluntaria sufficit, quod proveniat à principio intrinseco, idest intellectus proponat voluntati præceptum, & tamen voluntas negligat, licet nihil decernat; talis enim negligentia, & ommissio, cum sit ex libito voluntatis, quæ novit præceptum, sed adhuc neglexit voluntariè, ab intrinseco, dicitur negligere, sicque culpabiliter; nec urget argumentum, quod non daretur differentia inter actum primum, & secundum, dum scilicet actus primus, cum importet indifferentiam, & sic carentiam formæ; secundus pariter si posset consistere in simplici omissione, eandem importaret carentiam, dum non tolatur indifferentia actus primi, per aliquem actum positivum; nam pro responsione dico, quod adhuc assignatur differentia, nempe actus primus importat præcisionem, actus, & carentiæ; actus verò secundus importat carentiam formalem actus debiti, per modum privationis, per quam determinatur negativè indifferentia actus primi, & stat in hoc, quod data sufficienti repræsentatione obiecti voluntati, & debiti operandi, tamen adhuc voluntas persistat in omissione, & tunc talis ommissio formalis rei debiti, est voluntaria, & culpabilis, quia dum cognoscit debitum, & possit implere, & omittit, tunc culpatur; Vide *Mastrium disp. 6. de peccatis q. 4. artic. 2. num. 119.*, *Beccanum d. quest. 3.*, ubi solvuntur aliæ difficultates, *Azorium p. 1. lib. 4. c. 3. Vers. Tertio queritur*, at dimittamus quæstionem ad Theologos speculantes.

3 De Negligentia, quæ est voluntaria ommissio rei præceptæ, vel ex justitia, vel ex charitate, nunc queritur, an sit culpabilis culpa morali; nam de culpa civili, vel legali, quæremus in sequenti, & ratio dubitandi esse potest ex *tex. Math. 6.* (*nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, & corpori vestro, quid induamini*); ex quibus verbis vi-

detur approbari negligentia, ac per consequens, quod possit esse non culpabilis; Immo quandoque erit meritoria, & laudabilis, ut *Proverb. c. 12. vers. 26.*, (*qui negligit damnum propter amicum justus est*), ita si negligantur, quæ mala sunt, aut quæ trahere possunt ad peccatum, aut impedire virtutis profectum; ideo *Beda Homil. in natali Sancti Benedicti*, quæ legitur tertia die Julii ad Evangelium *Math. c. 10.* (*ecce nos relinquimus omnia*) ait (*& justa prorsus retributio, ut qui hic pro Christo humanæ, gloriæ celsitudinis, neglexerunt, illic à Christo, Judices glorificati cum eo assideant*).

4 Verum nisi negligentia sit de re, quam quis tenetur facere, & operari sub præcepto, (de qua principaliter est præfens tractatus) certum est quod culpabilis est, ut docet *D. Thom. 2. 2. quest. 54. art. 1.*, & *art. 3.*, & talis est culpa, ut negligentibus neque suffragetur æquitas, *Calvin. de Æquitate lib. 2. cap. 147. num. 12.*, *Maseard. de probat. concl. 1230. num. 43.*, eo quia negligentia importat defectum debiti sollicitudinis; omnis autem defectus debiti actus, peccatum importat, ideòque *Math. 24. dicitur*, quod in judicio Dei propter negligentias, potissimum, reprobi condemnabuntur ad æternos cruciatus, ubi (*sitivi, & non dedistis mihi bibere, esurivi, & non dedistis mihi manducare, nudus eram, & non cooperuistis me*), ex quibus colligitur, quod quia reprobi neglexerunt ea facere, quæ tenebantur facere, vel ex justitia, vel ex charitate, tanquam, culpabiles damnantur; Idèd *Michael Aigvanus*, alias incognitus, in *Psal. 90. vers. (super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem)* notat quod Diabolus dicitur, Draco, cum devorat negligentes, & clarè habetur in *c. ea quæ*, ubi *glos. in verbo negligentia de offitio Archid.*, *c. dictum dist. 81.*, *c. nulli fas est dist. 19.*, *c. quæsitum*, ubi *glos. in verbo negligentibus de panit.*, & *remiss.*, *c. offitii 24. quest. 1.*, *Sperell. decis. 129. num. 37.* *Barbosa ad d. c. ea quæ num. 3.*, ubi, *Ancharan. de off. Arch.*, unde *Carthagena de B. V. lib. 6. hom. 5. vers. è contra*, trahit argumentum, quod negligentia in operibus Dei, signum sit reprobationis.

5 Querunt Theologi in *p. 2. D. Thomæ*, an solus actus internus voluntatis de omittendo, sit peccatum, vel etiam actus externus actualis omissionis, ubi *Beccan. 2. par. tract.*

2. c. 3. de peccato omissionis num. 8. existimat, actum externum non addere malitiam supra actum internum, quia tota malitia est in voluntate; posse tamen omissionem externam dici peccatum, per denominationem extrinsecam, ex quo procedit à mala voluntate, à qua denominatur; hinc deducit, mensuram peccati extrinseci desumendam esse à majori, vel minori gravitate malitiæ, actus intrinseci voluntatis; ita ut si actus internum sit mortalitatis, etiam externus denominetur moraliter lethalis, vel si venialis, ita denominetur, & actus externus.

6 Non omitto adnotare, quod glos. in c. si peccatum de penit. d. 1. sentiat negligentiam potius dici delictum, quam peccatum, quia (delictum), idest (derelictum) explicat Chrysostomus homil. 25. in Matb. (vides quomodo non solum rapaces, & qui aliena invadunt, nec soli malefactores, verum etiam, & qui bona facere negligit extremo cruciatur supplicio); Hieronymus in c. 25. Matb. (quod putaverat se pro excusatione dixisse, in culpam propriam vertitur; servus autem malus appellatur, quia calumniam Domino fecit; piger quia noluit duplicare, ut in altero superbia, in altero negligentia condemnatur); De negligentibus pronuntiatur illa sententia Matb. c. 7. (omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur).

7 Duplici autem modo, posse contingere, quod negligentia culpabilis sit, docet D. Thom. dicto art. 3.; Primò si negligentia sit circa ea, quæ sunt de necessariis ad salutem; & tunc negligentia mortaliter culpabilis est; Less. de Just. & Jure lib. 4. c. 4. dub. 11. nu. 85., ubi quod peccatum mortale est, si Medicus, Advocatus, Parochus, Episcopus, negligent ea discere, quæ suum cujusque officium attingunt; Veniale verò, si negligent scire, quæ non necessariò, sed tantum sub veniali tenebantur scire jure humano, vel Divino, vel ex quadam congruentia, vel ex parvitate materiæ; Secundò si sit circa ea, quæ sunt Dei, seu ad cultum Dei ordinata, vel ad charitatem proximi, & tunc si negligentia sit maxima, & talis, mortaliter culpabilis reputatur, præcipuè si sequatur ex contemptu; præciso autem contemptu, & non sit totalis, tunc culpabilis venialiter erit regulariter, Summa Armila Vers. Negligentia. Cajetan. Summa Vers. Negligentia; Angel. Vers. Negligentia num. 1.

8 Quod autem dixi de contemptu, obferro; alium esse positivum, alium negativum; positivus contemptus consistit in actu positivo voluntatis contemnentis, & aspernantis aliquid, quod non reputat honore dignum, vel intendit injuria efficere; contemptus verò negativus consistit in negligentia, qua quis negligit tantum, non curando, id quod curare debet, non tamen in spretum, nec intendens injuriam, & hæc potest esse culpa venialis tantum, ut si quis cognoscens se verbis otiosis deditum, in casu, quo sunt tantum venialia, negligat tamen emendare; hujusmodi contemptus, & negligentia, est tantum culpa venialis.

9 Ex alio autem capite, negligentia graviter culpabilis erit, si homo dans operam rei periculosa, vel lædendi proximum, vel ipse labendi in aliquod grave peccatum, sciens periculum, vel scire debens, dubitans, & tamen negligat præcavere juxta tex. in c. si culpa tua de injuriis, sic negligens custodire sensus, putat oculos, dum mulierem alloquitur, ubi cognoscit periculum labendi in delectationem, & consensum, graviter peccat, fugit enim sepè etiam intactis corporibus, castitas c. nec sola 32. quæst. 5., Grass. de casibus reseruatib. lib. 2. c. 5. num. 10. Ubi dictum Basil. Cesarien. (mulierem ignoro, & tamen virgo non sum); Sic habens consuetudinē jurandi falsum, & advertat, atque cognoscat hanc suam pravam consuetudinem, & negligat eam extirpare, hæc negligentia est peccatum mortale, quia constituit pejerantem in statu peccati mortalis, ad latè tradita per Theologos Sanchez. ad Decalog. lib. 3. c. 5. n. 11., Suarez. de Relig. tom. 2. lib. 3., de juramento c. 6. num. 6. 8., Bonaccina tom. 2. disp. 2. quæst. 1. p. 13 num. 4., Trulenb. in exposit. decalog. lib. 2. c. 1. dub. 20. num. 6.

10 Sicuti negligentia in extirpanda, & tollenda quacunque occasione proxima peccandi mortaliter, putat in fornicatione, constituit affectum tali consuetudine, in statu peccati mortalis. Jo. de Lugo de penit. disput. 56. sec. 4. c. 7. num. 202., & seqq.; ubi num. 205., quod permissio illius consuetudinis sit peccatum mortale, quod idem est, ac dicere, negligentia in tollenda, & extirpanda tali consuetudine, est peccatum mortale, & num. 206., hanc pravam consuetudinem omninò esse extirpandam, posita ergo obligatione extirpandi pravam consuetudinem, & sufficienti ad-

vertentia

vertentia ad eam, neque ullum fit impedimentum legitime impediens, à tali extirpatione, fit ut consuetudinarius sit negligens, ut supra explicavimus art. 2.; Ita & parentum negligentia, dum retinent infantulos in lectulo, cum periculo suffocationis, nec præcavent; de quo est tex. in c. consulluisti 2. q. 5.

12 Negligentia in Prælato culpa gravis, & lethalis c. sit Rector dist. 43., Abbas Panorm. in c. illa propositorum num. 3. de accus., & in c. 2. num. 4. de præscript., in c. quamvis num. 2. de reg. Jur., in c. ea quæ num. 1. ubi, & Butr. de officio arch., Borell. de arbit., & compromissi; glos. 6. q. 4. num. 4. 5. 6., & bonus tex. in c. officii 24. quæst. 1., Carolus de Grassis de effect. cler. effect. 1. num. 212., Sperel. decis. 129. num. 37.

13 Ita pariter omittere, & negligere, quod sub mortali obedientiæ præcepto imponitur, mortaliter, culpa est, Lessus de Just. & Jure lib. 1. c. 2. num. 20., & lib. 4. c. 4. num. 85., & facilis patet responsio, ad rationem dubitandi desumptam, ex illo Matb. 6. nolite solliciti esse quid edatis &c. August. enim lib. de opere Monachor. invebit, in Monacos otiosos, & negligentes; explicat, non ex eo approbari omissionem, otium, & negligentiam, sed ex eo textu docemur, non turbari in minoribus, ut valeamus toto corde amplecti majora, nempè incumbere orationi, & vacando spiritualibus, quærere primum regnum Dei, à quo, minora hæc temporalia providè, & abundè recipiemus, ita, & negligentibus demonem prævalere docuit, & August. sermon. de tempore 197., & Gregor. in 4. Job. ait, demonem contra negligentes esse gigantem, fortem, & validum.

14 Major difficultas est, utrum negligere id, ubi quod non est de præcepto, neque de necessitate salutis, neque de periculo proximi agit, sed vel de consilio tantum, vel agatur de majori bono, & profectu operantis, quod per negligentiam amittatur, an tunc culpa sit? Et fuit hæresis Raymundi Lulli, quod tantum imputandum sit homini potenti bonum facere, & nolenti, ac negligenti, quantum sit facere malum; quia dicebat ille, homo potens facere bonum, & nolens, semper est in culpa; Verùm hæresis hæc damnata fuit à Greg. XI., ut habetur in directorio Inquisitorum p. 2. quæst. 9. §. 5. inter errores Raymundi Lulli 73.

15 Negari tamen non potest, quod si ne-

gligentia, & omissio, bonæ operationis non fit in se formaliter mala, possit saltem esse occasionaliter, vel etiam causaliter, culpabilis, dum in Proverb. 24. dicitur in agro pigri, & negligentis, nihil plantatum, nihil elaboratum uspiam apparet, idest virtuosum, sed totum spinis sylvestribus, & tribulis, & Bernard. in Canticam serm. 63. stulti, & negligentis vineam totam repleverant Urticæ, & spinæ; & Eccles. 38., multam malitiam docuit otiositas, quàm omnium virtutum hostem appellat; D. Hieronym., facit illud Hyerem. maledictus, qui facit opus Domini negligenter, quod alii legunt fraudolenter.

16 Quarto modo negligentia culpabilis est, quando quis ratione offitii, contractus, vel quasi contractus, tenetur ad aliquid præcavendum, faciendum negligit, & tunc pro modo voluntarij, culpabilis est, vel venialiter, vel etiam mortaliter, vel etiam ratione gravis materiæ, aut levis, ut exemplificabam in tutore, qui neglexit custodire bona pupilli, maximè si recipiat aliquod lucrum ex tutela, ut dicam de negligentia tutorum, in particulari, vel ex voluntaria negligentia, & in re gravi, est culpa mortalis, vel ex aliqua oblivione naturali cum negligentia, docet Megala in prima 2. institutionis lib. 2. c. 32. num. 30. & 38. 41., Cravet. conf. 132. num. 4. 5. incipit (homines Sancti Andree), Carolus de Grass. de effect. cleric. eff. 1. num. 213., Felin. in c. 1. num. 3. de treg. & pace, Grass. decis. aur. lib. 3. cap. 5. nu. 132., Maria. Socin. conf. 11. Profsequendo col. 2. vol. 1., Fran. Viviu. com. opini. lib. 1. opin. 30. num. 22. 23.

17 Contra negligentes, Deus severiori procedit juditio, quod exposuit Dominus in parabola talentorum distributorum fervis, ut ex eis negotiantur Matb. 25., Qui autem unicum talentum receperat abiit, fodit in terram, abscondit pecuniam Domini sui, & neglexit negotiari, dicens Domine scio, quia homo durus es, & austerus, Ubi Origines verè durus est iis, qui misericordia Dei abutuntur, ad negligentiam suam, ac valdè considerabile est illud, Jacob. c. 4. scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi, negligentia enim parit superbiam, superbia offensam, quæ summopere Deum sollicitat ad vindictam c. prædixerat de penit. d. 1.

18 Sicuti negligere gratiam, quàm quis consecutus est à Deo, pro culpa imputatur; Idèd Apostolus ad Timot. 4. noli negligere gratiam, quæ in te est, & refertur in c. legimus dist. 93., & Paulus de se ait, gratia ejus in me

D

vacua

vacua non fuit, ex qua negligentia gravia, ut plurimum, sequuntur mala, ait Bernardus *serm. de septem donis Spiritus Sancti*, ubi committantia sunt in humano corde, negligentia sui, & curiositas cæterorum; malignatur quippe voluntas, ipso neglectu, quotidie deterior semetipsa.

19 Salamon enim, ut erudiret nos, quare māna divino munere de Cælo dimissa ad primū solis radiū solveretur, ad ignem verò examinata duret, *sapientia c. 16. Vers. 28. ait*. Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum, tabescebat, ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem, ab benedictionem tuam, & ad orientem lucis, te adorare; ingrati enim fides, tamquam hyemalis glacies, tabescet; magnam ergo jacturam parit negligentia.

20 D. Bonaventura in tract. *parvum bonum arti*. primò agendo de vita purgativa, inter alia

hæc habet (*arguat se animus de multiplici negligentia*) sic recogitare debet homo, si in se fuerit negligentia cordis custodiendi, temporis expendendi, & finis intendendi; debet enim bene custodire cor, tempus utiliter expendere, & finem debitum in omni opere præcogitare; cogitare debet si fuerit negligentia in oratione, in lectio-
ne, in boni operis executione; cogitare debet si fuerit negligens ad pœnitendum, ad resistendum, & ad proficiendum; debet enim summa cum diligentia, deslere, culpam commissam, repellere tentationem diabolicam, proficere de una virtute, in aliam, ut possit pervenire ad terram promissam; hæc Bonaventura, ex quibus aliisq; ibidem fufius descriptis, bene edocemur, de hoc magno effectu peccati negligentia, nempe hominem alioquin spiritualem, & virtutis profectum desiderantem, impediri à negligentia, ne in virtute proficiat.

ARTICULUS VIII.

An ex negligentia incurratur legalis culpa.

Non induco in quæstionem, utrum possit dari culpa legalis, sine Theologica, quæ in foro externo sit damnabilis, & in foro interno nullam culpam, seu peccatum involvat; nam posse dari, est Theologorum sententia, de qua *Lessius de Just. & Jure lib. 2. c. 7. dub. 6. nu. 26.* Potest enim contingere notabilis damnificatio proximi, ex tua naturali inconsideratione, inadvertentia, vel oblivione, ita ut pro foro conscientia, non tenearis ad restitutionem, & tamen in foro externo habeatur pro culpa lata, & cogaris à Judice, damnum reparare. *Sayr. Clau. regia lib. 10. tract. 3. c. 1. num. 10.*

2 Clarissimi Juris est, Negligentiam in jure, culpæ imputari, atque pro culpa poni, & puniri potest, in *l. cedere diem §. ult. de verb. signif.* ubi dicitur, lata culpa, est nimia negligentia, idest non intelligere, quod omnes intelligunt, idem repetitur, in *l. latè eod.*, *l. quod Nerva ff. depositi*, *l. milites ff. de custod. reorum*, *l. magna negligentia ff. de verb. signif.*, *l. 1. §. bis quoque, ff. de act.*, & *oblig.*, *l. si fidejussor ff. mandati*, *l. impuberibus §. 1. de susp. tut.*, *l. Tutor, qui repert: §. competit ff. de*

*administ. tutorum, l. Magistratus ff. de administ. rerum ad civit. pertinent, l. nomina C. arbit. tut. Abbas in c. unico de commodato. Mezala in p. 2. lib. 2. c. 31. num. 36. 38., facit tex. in l. non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit 159. ff. de reg. Jur., & c. sepe contingit dist. 50., in l. quod Nerva ff. depositi. Culpa juridica describitur per hæc verba (*Nam & si quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est, nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstat, fraude non caret*), ideoque est regula, quod negligentia absque culpa non datur, *Cocchin. decis. 1330. num. 11.*, ideoque delictum sapit, *Cocchin. decis. 890. num. 15.*, *Calvin. de equitate lib. 2. c. 193. num. 13.**

3 Et quod negligere, seu omittere id, quod alii ejusdem conditionis faciunt, ac facere consueverunt, aut tenentur, sit culpa, communiter tradunt D.D. *Surd. decis. 82.*, *Molina de Just.*, & *Jure tract. 2. disp. 293. n. 4.*, *Sayr Clau. Regia lib. 10. tract. 2. c. 14. à num. 5.*, *tract. 3. c. 1. num. 10.*, *Farinac. præct. Criminal. q. 88. à nu. 53.*, & *seqq.*, tangit *Barbosa ad c. cum gratia num. 3.*, & *seqq.*, de *commodato*, *Menoch. lib. 5. præsumpt. 3. num. 124. lib. 6.*

lib. 6., præsump. 23. num. 11., *Gratian. discept. for. c. 125. num. 1. 2. 15.*, & *354. num. 34. 36.*, *c. 677. num. 7.*, & *alibi passim*, *Bartol. latè in l. quod Nerva ff. depositi*; *Salicet in l. si nulla num. 4. 5. 6. C. de pignor. act.*, *Bald. in l. qui fortuitis num. 7. C. de pignor. act.*, *Immola in c. 2. num. 6. 12. de constit.*, *Jo. Bapt. Costa de remed. subsid. remed. 105. num. 3.*, *Sylvest. V. Culpa num. 2.*, *Azor. instit. Moral. p. 3. lib. 4. c. 6. V. secundum est*, & *lib. 6. c. 4. V. porro in Jure civili*, & *seqq.*, ita custos carceris negligens in custodia, si carceratus aufugiat, dicitur esse in culpa; *Farinac. in præct. Crimin. quæst. 31. num. 10.*

4 Quotuplex autem sit hæc culpa, quæ est negligentia, seu ex negligentia, *Bartol. in l. quod Nerva ff. depositi*, distinguit quinque culparum species, latissimam, latiore, latam, levem, levissimam. *Bald. in l. qui fortuitis num. 7. C. de pignor. act.*, quatuor ponit species culpæ, latiore, latam, levem, levissimam; Canonistæ verò communiter, tres tantum distinguunt culpas, latam, levem, levissimam, de quibus remissivè, *Barbosa ad c. cum gratia num. 3. de commodato*, *Azor. instit. Moral. p. 3. lib. 4. c. 6. V. sciendum*, *Sylvest. V. culpa num. 2.* dicunt, quod culpa latissima de qua *Bartol.*, est dolus verus, quando quis voluntariè, & scienter machinatur ad circumveniendum alterum, quæ dolo æquiparatur: *l. si fidejussor. ff. mandati glos. in c. ad falsariorum in V. negligentia de crim. falsi*, Culpa latior, est dolus præsumptus, quo quis, si non voluntariè, saltem scienter, molitur in damnum alterius; Culpam verò latam, levem, levissimam, excludere utrunquè, scilicet scientiam, & voluntatem, sed esse ignorare id, quod scire tenetur, aut cæteri ejusdem conditionis sciunt.

Verum quia in iis quinque speciebus culparum, bene potest distingui negligentia, & omisso, vel culpabilis tantum sit, vel dolosa, de iis omnibus est aliquid tangendum.

5 Latissima ergo culpa, quantum facit ad præsens institutum est negligentia, quæ quis scienter, & voluntariè omisit facere aliquid ad circumveniendum, & decipiendum alterum, quam his verbis explicat *Cagnol. in l. contractus ff. de reg. jur. num. 6.*, quod sit eorum, qui ex versuto, & malo proposito, animoque perfido alienas res, vel negotia, affectata quadam improvidentia malignè, vel negligunt, vel dissimulant, cum in rebus

suis sint providi, & diligentes, & qui veritatem, sub negligentia vitio, ita subvolvunt, ut manifesti quidem doli crimen, colore, velamineque desidia à se se ammoveant; doli tamen machinatione, fraudeque non carent; latior verò est, qua quis scienter, sed non voluntariè, omittit aliquid, ex quo alter decipitur, & circumvenitur, & dicitur (dolus præsumptus), quia ex quo, qui negligit, sciebat ex tali omissione alterum esse decipiendum, tenebatur non omittere, & præsumitur voluntariè omisisse. Culpa lata est, non intelligere, quod omnes intelligunt, aut nescire, quod omnes sciunt, *l. latè ff. de verb. signif.*, qua propter, vel ipsum non intelligere, proveniat ex negligentia, vel sit ipsa negligentia, juxta illud *Psal. 35. noluit intelligere, ut bene ageret*, idest quomodo bene ageret; vel tandem negligentia ex tali ignorantia sequatur, culpa lata, dicitur, ex quo omittit facere, quod omnis homo prudens facit; hanc explicat *Cagnol. in d. l. contractus num. 7. ibi*, secus est in lata culpa, ignavia, quæ sub nomine desidia, & negligentia cadit, ut quæ supinam negligentiam referat, aut vitium naturæ parum perspicacis, vel ex prava educatione contractam, cui, culpa adscribi poterit, supina, securitas improvida, immò nulla gerendarum rerum cura, reprehensa erroris facilitas, & pariter *num. 12. 13. & 14.* latius explicat, quando culpa ex negligentia dicatur lata, levis, vel levissima. Culpa levis est omittere id, quod prudens, & diligens pater familias facit. Culpa levissima est omittere id, quod homines diligentissimi facere solent, *l. si putator ff. ad leg. aquil. l. divus ff. de off. præsidis.*

6 Utrum quando lex, aut Statutum, in pœnibus, requirit dolum, sufficiat culpa lata, quæ dolo æquiparatur *c. 1. dist. 86., c. placuit. 11. q. 3.*, *l. si quas C. de off. Præfecti orient.* quam difficultatem discussit *Cagnol. in d. l. contractus ff. de reg. Jur. num. 8.*, & non sufficere resolvit *per tex. in l. 1. ff. ad legem Corneliam de Sicariis*, ubi habetur, quod in pœnibus, dolus pro facto accipitur, sicque requiritur factum positivum, nec sufficit negativum, ut in negligentia, *Farinac. præct. crim. q. 126. num. 50.*, & *latè q. 87. num. 18.* ubi prius *num. 14.* constituerat regulam, quod culpa lata regulariter, æquiparatur dolo, tamen *num. 17.* declarat regulam habere locum in contractibus, & *num. 18.*, secus autem in